

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 72. (*Neovidensis* 1806. Nro. 65.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter
ac mortuos.*

Ex Campis Elysiis

E mundo superiore.

(Elyslum - Meum. - Die Martis 26. Augusti 1806 (Neov. 12. Aug)

Ad Rabbimum Joseph. Ben Jachia

Magni momenti metamorphosis Genti Israeliticae imminet: in eam fere inclino sententiam; ut epocham illam nos attigisse credam, quam tu pro liberatione popularium tuorum in scriptis tuis spiritu prophetico statuisti: certe conventus celebriorum Judaicae Nationis in Gallia Virorum id saltem nos sperare jubet. Congregationem istam aliorum etiam, extra territorium imperii Gallici degentium Hebraeorum attentionem excitare e sequentibus intelliges:

Publica attentio in Coetum Parisiensem Aبلغatorum Genti Judaicae nunc directa est, ubi sors numerosae hominum classis decidetur. Eventus iste gravis est momenti tum pro praesente aetate, cum pro futuris temporibus; plurima enim consecutaria ex eodem oriri est necesse. Passiones morta-

lium jam et objectum hocce in discussionem sumserunt, sortemque Hebraeorum praepere definiverunt. Ea, quae hactenus acta sunt, opinionem quorundam de intentione suscipiendae violentae mutationis in religione Judaica, arctissimo sensu sumpta, nequaquam confirmant. Napoleon conscientiae, et exercitii religionis plenam libertatem solenniter promulgaverat, et a Gallici Gubernii magnanimitate, sapientia, et justitia alienum est; ut hypocriticam agendi rationem vi extorquere intendat, cui alioquin animi sensa, necdum seu educatione, seu institutione praeparata, nobilitateque, nullatenus responderent. Scopus hujus reformationis is esse videtur; ut Judaei cives, et quidem in Gallia Gallici cives fiant.

Inter multiplicia scripta, quae ea de re in lucem publicam prodierunt, honorificum locum Repraesentatio D. *Jakobsen* Agentis Aulici Brunsvicensis ad Gallorum Imperatorem meretur. Tenor illius est sequens:

„Majestas! plenus profundissimae Venerationis sensu, et stupore eo percitus, quem semper excitare solent extraordinarii Viri, a Deo ad nobilitandum genus humanum electi, ad thronum Majestatis Vestrae accedo ea cum fiducia, quam facta illa grandia ingenerant, quibus Majestas Vestra stupentem orbem compleverat.“

„Mihî fortuna illa haud obtigit; ut in eorum mortalium numero sim, quorum felicitati promovendae quaevis momenta Ma-

jestas Vestra consecrat; neque ad eam specto provinciam, cui Eadem pacem tranquillitatemque dederat. Membrum sum infastae Hebraeae Gentis, quam ignorantia et superstitio unitis viribus infra dignitatem suam depresserat, et veluti periosema et opprobrium Nationum omnium effecerat. Verum Populorum Deus Majestatem Vestram elegit ad procurandam Orbi felicitatem et ad Orbem hunc Judaei quoque pertinent. Ipse ego pertineo ad eundem hunc Populum, cujus deplorandus Status jam a mille et amplius annis Principum terrae commiserationem et humanitatis sensum implorabat, Populum inquam, qui in Majestate Vestra Redemptorem sperabat, et invenit. “

„ Felix esset Judaeus Germaniae, si ei vitae media honesta ratione quaerere, juri-
busque Civis frui liceret; et si externo ejusdem cultui divino ea forma tribueretur; ut munera quaevis civica, quin a lege sua recedere cogatur, obire possit “

„ Verum ad assequendum finem hunc oporteret 1) Senatum supremum Judaicum erigere, in quo praesidium gerat Patriarcha, qui in Gallia degere deberet. 2) universam judaeorum communitatem in districtus tribuere ita; ut quilibet distincta non habeat synodum, quae sub inspectione Gubernii Gallici, et supremi Senatus Hebraeorum cuncta cognoscat, et decidat, quae ad externum Cultum divinum pertinent, ac Judeorum Magistros (Rabbinos) denominet. 3) Eidem supra nominato

Supremo Judaico Senatui plenam potestatem concedere, vi cujus Popularibus suis necessariam dispensationem ad munia civilia in quavis Provincia implenda, elargiri valeret.

„ Medium hocce, Majestas! et scopo commensuratum, et necessarium est. Rumpantur saltem politica et religionaria vincula, quibus vinctis Judaei in servitute adhuc tenentur, et videbitur illico, quod et Hebraeus nobilior, aliisque hominibus aequalis reddi possit. Hoc si factum fuerit, sequemur vestigia Patrum nostrorum, qui sterilia Palaestinae saxa rupesque in amoenissimos hortos commutaverant, et ex iis feracissimam frugum messem retulerant, qui eadem manu, qua aut aratrum rexerant, aut telam texerant, vexilla sua victoriosa in rippa Jordanis plantaverant.“

Profecto nobilis est cogitatio, quam jam Josephus II. Imperator animo conceperat, Nationem, nos inter degentem, et admodum jam depressam ita transformandi; ut utilia deinceps Societati membra suppeditare possit. Zelus, quo transformatio haec urgetur, semper quidem laude dignus est; ast et difficultates in arduo hoc summique momenti opere in attentionem sumendae sunt: has prius tollere oportet, quam ad executionem benefici projecti illius progressus fiat.

Dum Helvetiae ante annos aliquot consilia inirent; an Hebraeis jus concivilitatis concedendum sit, Ablegatorum quidam mentem opinionemque suam sequentibus expresserat:

Homo is, qui mecum nec manducare, neque bibere vult; qui filiam meam matrimonio sibi jungere, et mecum diem dominicum hilariter colere renuit, Concivis meus esse nequaquam potest. Recte locutum fuisse Helvetam istum pro tempore illo dubitari vix potest; verum si gens Judaica reformata fuerit, si per eam cuncta haec sublata fuerint, et Judaei semet moribus temporis conformaverint; quid, quaeso, impedit, quominus homo Hebraeus Concivis meus esse possit?

Verum quidem est; praesentem Judaeorum generationem eam praeprimis, quae in aetate jam processerat, ordinationi illi haud ingravatum se accommodaturam; ut scilicet, relicto commercii et speculationis spiritu, opificio, agriculturae, et manuum labori se addicat; ast difficultas hujusmodi quamlibet reformationem sequitur. Anne igitur ab opere quodam summe proficuo ideo desistendum est; quod non illico, verum successive accedetentim, et fortasse in tertia tantum generatione in effectum deduci possit? — Ut emendatio Nationis cujuscumque ad determinatum maturitatis gradum perducatur, eadem successive veluti per gradus est instituenda. Hebraea Natio consuetudinibus multis, quibus a Christianis tantopere dissidet, quaeve in Asia potius et Africa, quam in borealibus plagis originem sumserant, verosimiliter nuncium mittet: juvenes addiscendis opificiis, scientiis et artibus operam dabunt: iidem terrena sibi comparare aditentur, aratra re-

gent, Sabbathum in diem dominicam transferent, tum vero arduum haud erit eosdem tanquam bonos utilesque Concives contemplandi.

Interim, proh dolor! is semper humanarum rerum erat cursus; quod si religiosae opinionés tangantur, communiter scissiones prognascantur; casus hic nunc quoque metuendus est: alioquin jam Judaeos Portugalos, et Germanos habemus.

Alia adhuc quaestio dilucidanda, et fundate perscrutanda esset, videlicet: An Thaimud Hebraeorum ejusmodi sit liber, quem necessario Judaei observare debeant; vel vero an ea pure tenenda sint a Judeis, quae in veteris Testamenti libris, praescribuntur, quin ullus sit Thaimudis usus? — quaestio haec multa decidere posset.

Istud est, quod tibi, dilectissime *Rabbi Joseph Ben!* significare volebam. Quid tu ad quaestionem hanc responderes?

B I O G R A P H I A.

Jachiades, seu *Rabbi Joseph Ben Joseph Jachia* celebris Judaeorum Magister 16. saeculi, Ulissipone natus, et a. 1539. aetatis suae annorum 45 mortuus. Docebat in Synagoga Imolensi, ubi studiorum assiduitate vitam sibi abbreviasse dicitur. Scripsit inter diversa alia Commentarium in nonnullos Scripturae vet. libros, et Paraphrasim in prophetiam Danielis. In opere hoc Popularibus suis

proximam liberationem pollicetur. *L'Empereur* illud latinitate donatum, et animadversionibus pluribus illustratum cum refutatione glossarum Judaicarum Amstelodami 1633. ediderat.

Parisiis 8. August. Nudius tertius Lordius Lauderdale Suae Caesareo-Regiae Majestati praesentatus fuit. Idem Secretarios duos in comitiva habebat, quorum uterque, prout ipse etiam, ex Scotia originem ducunt, D. nempe Stuart, et D. Maddison; iste fuerat Secretarius Postae, dum Lord Lauderdale Departamentum postale dirigebat, et est frater illius Anglici Negotiorum gestoris, qui intermedio tempore, dum Lordio S. Helena Parisios deserenti, Dux Mancunii in Legatione successit, subitanea morte obiit.

Sunt, qui non sine fundamento docere velint, pacem cum Anglia jam subscriptam, et die Natali Imperatoris, seu 15 Augusti publicandam esse.

Decretum Caesareum 28. elapsi mensis in Departementis trans alpes sitis omnibus parentibus, Tutoribus, et Curatoribus praecipit, ut casu eo, si quos filiorum, tutelatorum, aut curatellatorum suorum in exteris provinciis studiorum casu haberent, eosdem intra spatium duorum mensium revocare, et 1. Octobris h. a. Sub-Praefectis suorum Districtuum praesentare noverint. In posterum vero omnis educatio filiorum extra Regnum

penitus interdicitur. Contravenientes poenae pecuniali 1000. usque 3000. Franc. subji-
untur. Soli Imperatori erit integrum erga
Relationes Gubernatorum, Praefectorum, et
ad has concomitantes Propositiones Ministri
internorum negotiorum exceptiones admit-
tere.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes,
praeter complures alios, libri venales
prostant :

Gubernáth (Antonii) Linguae, & Litteraturae
hungaricae in Regia Poseniensi Academia
Professoris P. O. &c. Institutiones Linguae
& Litteraturae hungaricae. Tomus I.
complectens Grammaticam cum Syntaxi.
Tomus II. complectens ornatam Syntaxim
cum Phraseologia et Cortesia. 1803. T. II.
2 fl. in charta scriptoria 3 fl.

Jantin & Montigny, conte Moral, par l'auteur
de l'histoire de Sudmer. 1804. 1 fl.

Egymással - való barátságos beszélgetés, mel-
lyet eszve-szedett, és a' főbb engedelem-
ből közre botsátott Sz. Benedek' rendén
lévő Ph. Hollósi Egyed. Második meg - job-
bított ki - adás. 8. 1805. 48 kr.

Theophon, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a'
tapasztalatlan Ifjúság' hasznára. 1804. in 8.
1 fl. 45 xr. Posta papirosra 3 fl. Fényes
papirosra 6 fl. 40 xr.
